

II. INSCRIPTIO MANDATI SACRAE REGIAE MAIESTATIS OCCASIONE TELONEI

Sigismundus Dei gratia rex Poloniae, supremus dux Lithwaniae, Russiae, Prussiae, Mazowiae etc. dominus et heres. Universis et singulis capitaneis, tenutariis ac teloneorum nostrorum regalium praefectis et aliis, quorum interest, subditis nostris significamus tenore praesentium, quia, cum ad nos per querelas plurimorum esset delatum magnos abusus et plurima contingere incommoda, tam ab exactoribus teloneorum nostrorum, quam ab his a quibus exigi solet, inhaerentes statuto regni nostri, quod anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo in conventionem generali Cracoviensi pro festo Sanctorum Trium Regum [6 I 1540] celebrata de prohibitione viae ad Silesiam et Hungariam factum a nobis est et publicatum¹, animadvertentesque praefatum statutum, neque ab his, qui telonea in regno nostro exigunt, neque ab his, qui ea persolvunt, ita, ut convenit esse observatum, ut itaque melior ordo in exigendo teloneis servetur, ne quoque homines nostri aut externi aliunde dum mercibus advenientes molestis aut iniuriis afficiantur, pro huius praefati statuti latiore ac perfectiore interpretatione, cum modum in exigendo teloneis servari volumus.

[1]. Primum volumus, ut omnes capitanei nostri et tenutarii bonorum nostrorum regalium, praesertim qui in confiniis regni nostri sunt, diligenter custodiant, ne in aliquo excedant praefatam constitutionem nostram de prohibitione viae ad Silesiam et Hungariam factam. Qua constitutione clare praescribitur, quod capitanei locorum non debent arrestare, sive quovis modo praepedire, mercatores aut vectores regni nostri indigenas atque incolas, quicumque in praesentia teloneatores vel ipsius notarii iuramento mediante affirmaverint, boves aut peccora vel etiam merces quacumque per ipsos in teloneo denuntiantur et de regno sunt evehendum, non esse illorum proprias, sed extraneorum, quos nominare debent, quibus easdem merces vendiderint. Nec capitanei amplius a talibus exquirant tantummodo teloneatoris vel ipsius notarii testimonium. Extraneos autem nolumus per subditos nostros privatis quibuscumque suis constitutionibus, ne in regnum nostrum cum mercibus venire absterreantur, nec cogi debent, dum et ipsi illorumque merces sunt praesentes ad iuramenta praestanda.

[2]. Item in bobus nobilium proprie educationis et ex *powolowczizna* prohibitio et statutum anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo octavo in conventionem generali Piotrkowiensi pro festo Sanctorum Trium Regum [6 I 1538] a nobis sancitum² suum habeat vigorem, cum nemo ex subditis nostris habeat facultatem boves aut alias merces quascumque extra regnum pellendi aut evehendi.

[3]. Extranei vero quicumque boves emerint atque expellere voluerint aut teloneum solvant, tam ab his bobus, qui ex *powolowczizna* esse, denuntiati fuerint, quam ab aliis quibuscumque aut sibi litteras nostras pro libertate consequenda obtineant. Quod in mercibus quoque eorundem observari volumus.

[4]. Item si quis donaverit alteri boves, equos, equasne aut pullos equinos, vigore eiusdem prohibitionis per indigenas regni nostri non pellantur aut educantur extra regnum, sed nec extraneus qui huiusmodi boves, equos, equas, pullosne equinos expellendum suscipit, prius e regno exire permittatur, nisi litteras nostras admissionis fuerit adsecutus.

[5]. Item nobiles aut etiam tenutarii bonorum nostrorum regalium qui arca confinia regni ultra cameras telonei morantur, ne cameras praetereant, sed denuntient boves et peccora in teloneo, quae habuerint, et teloneatori obligent se soluturos teloneum, ab his omnibus, quae extra regnum per eos expulsa fuerint. Quod si quis certo testimonio clandestine aliquid se vendidisse, fuerit convictus iuxta ius commune et consuetudines in talibus rebus observari solitas, contra illum procedatur.

[6]. Item mandamus, ut viae publicae a capitaneis nostris diligenter in quolibet districtu revidentur et latitudo viarum illarum pateat secundum communem in regno nostro antiquo observationem nec permittant capitanei gravari mercatores, exigendo ab aliis eaque nullo iure illis

¹ Por. wyżej, nr XLIX, I, pkt 2 — *sejm walny krakowski 1540 r.*: Prohibitio transitus in Silesiam.

² Por. wyżej, nr XLVII, VI — *sejm walny piotrkowski 1538 r.*: Litterae occlusionis itineris in Silesiam et Hungariam.

debentur. Quemadmodum et antea et hisce temporibus complurium ad nos detulerunt querelae contra eos nobiles, qui variis eiusmodi exactionibus mercatores servabant nullo iure, sed solo praetextu damnorum in segetibus, quamvis nullum fieret et extorquendi studio id agentes, quod si aliqui exactores, ut suprascriptum est, reperti fuerint, capitanei nostri iure competenti cum illis agere debebunt. Volumus praeterea, ut capitanei ex officio suo admoveant eos, quicumque telonea in bonis suis habent hereditaria, vias publicas reformarent in his locis in quibus telonea exigunt. Capitanei etiam iuxta statutum serenissimi parentis nostri divinae memoriae provideant, ut viis antiquis consuetis mercatores et vectores transeant³.

[7]. Item capitanei quisque in suo districtu ex officio providere debent, ne merces alicue deponantur in oppidis ultra cameras telonei iuxta confinia iacentibus, cum hoc sit in detrimentum telonei.

[8]. Item capitanei et tenutarii nostri diligenter observent eos, qui telonea transgrediuntur et quisque in loco suae iurisdictionis servitores ex equo teneat et in commisso recepta ex media parte dividant, prius tamen, quod solvendi teloneo et impensis in exploratores factis sufficiat seposite. Quod non tantum de bobus et peccoribus, sed etiam de mercibus quibuscumque, quae incommisum venerint, intelligendum. Divisio vero dividitis his rebus fiat, quae fuerant incommisso recepte propter contentiones evitandum. Prius tamen quam merces ex cultu deponentur custodes telonei ex parte teloneatoris et ex parte capitanei debent reponere unam sexagenam per vectorem tollendam ad compensandas suas impensas per moram eiusmodi factas, si nihil fuerit inventum, ultra id quod in quietatione sit expressum vel quod in commissum merito cedere deberet. Si autem quid per familiam teloneatoris absque capitanei subsidio aut contra per familiam capitanei absque subsidio teloneatoris interceptum fuerit, nihilominus totum in equalem divisionem modo supra memorato erit reponendum. Et capitanei habeant registra sui telonei in qualibet tenuta, in quibus expresso describant, quo die aliquis vectorum merces quales et quantitas et cuius vexerit. Boves similiter quod numero et qua die et per quem et cuius pulsi fuerint, ut unum regestrum alteri respondeat.

[9]. Item mercatores seu vectores ex liberis civitatibus in teloneo se denuntiantes habeant litteras testimonii a suo consulatu. Item vectores provincias alienas merces vehentes solvant teloneum ab aquis, non obstante libertate, si vector est de alia civitate, quam sit his cuius merces fuerint. Quia vectores non suscipiunt vehentes merces alienas, nisi conveniant prius de solutione vecture et vectigalium.

Vobis itaque universis et singulis capitaneis, tenutariis ac teloneorum praefectis et reliquis omnibus quorum interest, quos hic pro expressis habere volumus, mandamus severe iisdem precipientes, ut hanc ordinationem nostram, quae pluribus verbis exponit constitutionem praefatam anno Domini millesimo quingentesimo quadragésimo in generali regni nostri conventu Cracoviae pro festo sanctorum Trium Regum celebrato [6 I 1540]⁴, per nos de huiusmodi exactionibus sancitam, in omnibus articulis, punctis, clausulis et partibus tenendam, tuendam atque debite executioni demandandam curetis atque per vos ipsi ad executionem plenariam perducatis. Pro gratia nostra et gravi indignatione secus non facturi.

³ Jest to ogólne powołanie się na ustawodawstwo Jana Olbrachta z 1496 r.; por. wyżej, nr II, pkt 52: De libertate nobilium in theloneis.

⁴ Por. wyżej, przypis 1.